



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis. Consilium CCLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

Reg. Cancel. Apostolica De iure quæsto non tollen. nec derogare voluit Pontifex. Id enim indicant Bullæ, quæ Opponens utitur, hæc expressa verba: *Dommodo coru dispoſitis ad nos hac vice pertineat.* Quam tunc non pertinuisse constat propter acceptationem, & provisionem Impetrantis. Neque titulum hunc Opponentis iustificat, & provisionem acceptationemque Impetrantis impedit, quod Opponens contendat se non ex simplici vacatione post mortem D. Ioannis du Mont novissimi huius Canonatus possessoris (ex qua vacationis specie Impetrans jus suum fundat, ac meitur) hanc suam provisionem obtinuisse; sed ex cessione ac simplici resignatione in favorem ipsius apud Sedem Apostolicam facta per Ioannem de Prato: nam Ioannes de Prato efficere non potuit, ut beneficium, quod ad ipsum non pertinuit, sed ex antecedente morte D. Ioannis du Mont (qui verus & quietus possessor dicti Canonatus fuit, & in illius possessione decessit) vigore Bullæ Leoninæ Impetranti acquisitum erat, per cessionem ac resignationem in Opponentem transferretur. Cedit namque aut resignari, aut in alium transferri non potest, quod cedens, resignans, aut transferens non habet, *l. si servus, l. Traditio de acq. rer. dom.* Et quod proponitur prætatum D. Ioannem du Mont anno 1562. quinta Decemb. constituisse suum procuratorem Sebastianum Matthæi ad resignandum hunc Canonatum ad opus Ioannis de Prato; quodque idem Sebastianus huiusmodi resignationem in manibus Domini Papæ fecerit, & expeditioni literarum ad opus dicti Ioannis de Prato consenserit decimo quinto Decembris anno 1563. & sic vno medio anno ante mortem D. Ioannis du Mont, exceptis tantum duobus diebus, quæ ad plenam medium annum deerant; eoque ratione modus vacationis, ex qua Impetrans acceptavit, præventus, atque impeditus fuerit, ac huius beneficii ex die 15. Novembris anno 1563. dominus & proprietarius effectus fuerit Ioannes de Prato, qui illud literis etiam non expeditis secundum praxin Curie Romanæ in Opponentem transferre potuerit, & transferendo, seu cedendo effecerit, ut jus ejusdem beneficii sit apud Opponentem; nihil adhuc facit ad jus Opponentis stabilendum, vel Impetrantis subvertendum. † Nam cum initium horum omnium dependeat ex mandato seu procuratorio, quod Dominus Ioannes du Mont dedisse dicitur Sebastianus Matthæi, oportet de hoc mandato legitime constare: ut enim generaliter mandatum non præsumitur, *Bald. in l. 2. c. Si ex fals. instrum.* nec ea in parte etiam honoratissima, maximisque viris mandatum asserentibus creditur, nisi illud proferatur, *l. 1. c. De mand. Princ.* ita omnium minimè in re, quæ abdicationem, abalienationemque rei alterius respicit præsumi debet; præsertim quando ad præsumendum huiusmodi mandatum nihil omnino intrinsecus, vel extrinsecus concurrat, sed omnia præsumptioni huiusmodi resistunt, eamque improbabilem faciunt. Veluti primum, quod tendat ad abdicationem beneficii, quod D. Ioannes du Mont solum habebat; idque veluti ex causa donationis simpliciter, & purè in favorem alterius, non ex

causa permutationis: equidem ut donationis præsumptio facilis non est, *l. cum de indebitis de probat.* ita & difficilior mandati ad donandum præsumptio. Secundo, quod mandatum hoc dicatur datum quinta Decemb. 1562. quodque proponatur Ioannem de Prato illo primum usum esse uno fere anno post, scilicet in Novembri anno 1564. quo si id verè habuisset, procul dubio usus fuisset citiore die & opportuniore tempore. Tertiò, quod D. Ioannes du Mont in possessione huius beneficii non tantum uno anno post datam astricti huiusmodi mandati, verum etiam usque ad mortem inclusive permanisset, & sic fere sequaturo: non enim præsumitur quilibet dimittere aut dimittere velle, in cuius possessione præsertim tam diu perseverat, *l. Et qui sub imagine, c. de distract. pign.*

In executione quoque provisionis suæ deservatur Opponentis, ob id, quod de mandato D. Ioannis Gruet, qui possessionem beneficii accepit, & gratiam Opponentis divulgavit, non constat, quodque Impetrans aperte negaverit Notarium illius, qui istud instrumentum confecisse dicitur. Neque enim præsumitur, sed probari debet Notarium cuiusque, tunc præsertim cum pars adversa, contra quam producitur instrumentum, vitro illum non agnoscit, sed expressè negat, *Castr. in l. Scribarios. c. De testam. in l. ita.* Probari itaque debet à producente, potissimum cum sic ex longinqua regione producitur, in ea regione, ubi huius Notarii nulli est notitia, *Card. Zabarella in Clem. 1. nu. 8. De procurat.* ut event in hoc instrumento, quod Romæ confectum dicitur. Ita ut Opponens non possit dici docuisse de aliqua sua possessione, de cuius prima apprehensione rite facta non docet.

Omnium itaque comparatione facta in solido stat. jus, & possessio Impetrantis, ex firmitate multum favorabili titulo studiorum favore obtento: quæ nulla ratione, vel infringuntur vel impediuntur ex objecto iure, & asserta possessione Opponentis, ex titulo multum odioso, magnaque suspitione laborante, quique vitiosum initium habet in capite auctoris, à quo Opponentis sui principia ducit. Vnde existimamus Ampliissimorum Dominorum partes esse, ut fidei iuriam possessionem, seu recedentiam Impetranti concessam in simplicem plenam & absolutam convertant; manutenendo scilicet Impetrantem in possessione; interdicendo Opponentem, ne Impetrantem amplius turber, eodem Opponente in expensis litis condemnato.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Posseſſorium inter nominatum ex indulto nominationis Facultatis Artium in Univerſitate Lovaniensi, & proviſum duplici titulo collationis ordinariæ & apostolicæ.

1. Nominaciones quomodo concedit Papa.
2. Nominaciones beneficiales etiam laici concedi.
3. Concordata Navonis Germaniæ an in Comitatu Namurcensi locum habeant.
4. Extensio de persona ad personam de uno privilegio ad aliud non est facienda.

4. Declara.

4. Declaratio ius novum non tribuit.
5. Capituli appellatio non continetur Prælatus.
6. Nominatione ad prælatus facta non potest acceptari beneficium quod ad Capitulum spectat & contra.
 { Sede vacante quid ad Capitulum devolvatur.
23. 7. Nominationi injunctio Sede vacante facienda Capitulo.
8. Sede vacante Capitulum conferre debet beneficia, quibus Prælatus deberet.
9. Devolutione collationis facta, superior conferre debet, cui debebat, & quo fit devolutio.
10. Mandato de providendo Capitulo Sede vacante facto, electus postea Episcopus ei parere debet.
11. Sede vacante Capitulum vice Prælatis tantum est.
12. 14. Collatio beneficiorum pars fructuum dignitatis est.
13. Sede vacante debent fructus futuro Prælato reservari.
15. Nominatione & acceptatio an Sede vacante fieri possit.
16. Mandatum de providendo nullum est, si non sit persona, cui mandatur.
17. Prælatus appellatio venit ipsa prælatura.
18. Delegatio sub nomine dignitatis facta transit ad successorem.
19. Gratia ex petitione ad Abbatem certi loci impetrata, Abbatem Abbatum cum alio beneficio permittente novum Abbas conferre debet.
20. Dignitas nulla esse non potest.
21. { Dignitas vacans se habet personam defuncti Prælati, non successoris.
22. Nominationes fieri possunt statim mortuo Prælato & successore necdum designato.
23. 2. Nominatio commendatario, vel Prælati vicario dirigi potest.
24. Collatio necessaria quæ sit.
25. Collator contra mandatum de conferendo, alij conferendo nihil agit.
26. Clausula decreti irritantis potestas.
27. Titulus duplex in beneficiis an accumulari possit.
28. conditio futurum est.
29. Clausula, dommodo non sit ius alteri usurpatum, quid operetur.
30. Possessio causa beneficii ex titulis iustificari debet.

CONSILIVM CCLIX.

In quaestione, quæ orta est inter Magistrum Ioannem Tamison, Impetrantem, & D. Carolum de Bernimicourt Opponentem, super Canonatu & præbenda Collegiata Ecclesiæ B. Mariæ Oppidi Namurcensis vacante per obitum Domini Stephani de Beverie, quæ iam in iudicium possessorium retinenda possessionis, seu manutenturæ deducta est coram insigni Concilio Namurcensi, cum longè potiores sint partes præfati M. Ioannis, pro illius quoque parte consulti, non detestabimur inquisitione factâ in ius, quod uterque hinc inde prætendit, secundum eundem M. Ioannem ex iure responderi: & quidem paulò latius quàm hoc iudicium possessorium postulat, ut unico nostro labore habeat idem M. Ioannes, quo & hanc causam possessoriam tueatur, & dictato fortè aliquando petitorio iudicio, certiore ductu partes suas tueatur, & ad scopum dirigat.

In ius itaque dicti M. Ioannis primum in-

quirentes dicimus, nihil dubitandum esse de viribus & potestate concessionis Apostolicæ factæ Facultati Artium Universitatis Lovanensis; virtute cuius ad collationes Abbatis secularis dictæ Collegiata Ecclesiæ nominatus fuit præfatus M. Ioannes: tunc cum in potestate Papæ sit non tantum per se nominare aliquem ad vacatura beneficia per viam mandati de providendo, c. Mandatum De rescrip. c. Mandato De præbendis. in. 6. (licet id hodie per decreta Concilii Tridentini rarius faciat, Sess. 24. de reformat. c. 19.) sed eam quoque nominandi potestatem alij mandare, dato & deputato dictæ nominationis executore, qui nominato beneficium referret, * idque non tantum ecclesiasticis personis seu membris, ut est dicta Facultas Artium (etiam ex permissione dicti Concilii Tridentini, Sess. 25. de reformat. c. 4. vers. & quæ in favorem,) sed etiam laicis, ut ex usu quotidiano Precum Imperialium & Regiarum videmus, per quas Cæsares, ac Regiæ Maiestati attribuitur potestas nominandi personas idoneas Collatoribus ad vacatura beneficia. Et cum sacra Cæsarea Maiestas Placito suo permiserit Facultati Artium executionem huiusmodi gratiæ Apostolicæ in his inferioribus suis Regionibus, & nominatim etiam in Comitatu Namurcensi, in quo illius usus notorie viget, nihil est quod DD. Iudices huiusmodi Placitorum Principis Conservatores & executores ea in parte remorari possint; observatâ præsertim formâ in eodem Placito præscripta alijsque in eo requisitis: veluti quod constet dictum M. Ioannem esse oriundum ex ipsius inferioribus Regionibus, ac natum in Oppido Namurcensi; quod iuraverit solemniter in redditibus annuis se non habere 80. ducato s; quod in iunctio Nominationis intra mensem à die sue nominationis facta sit in loco dignitatis dicti Abbatis secularis, & intra mensem ab acceptatione illius publicationem fecerit, & acceptationem debite registrari curaverit; observatis denique alijs omnibus, quæ Bulla Leonina requirit, veluti taxæ modo, acceptatione, provisione, in possessionem tam iuris, quàm rei inductione. Quæ siquidem omnia manifestè probant, nihil esse, quod ex parte dicti M. Ioannis desiderari possit, ad pleni, perfectique iuris, & tituli acquisitionem.

Obijcit interim dictus Opponens duo, quibus ius M. Ioannis elici seu enervari existimat: alterum (quod minorem habet dubitationem) virtute dictæ Bullæ Leoninæ non posse acceptari beneficium vacans ad collationem Originarij in mente ordinario, propter Concordatâ Nationis Germanicæ cum sede Apostolica; alterum, quod hic Canonici non vacaverit ad collationem Abbatis, sed Capituli, ad quod Capitulum M. Ioannes nominatus non fuerit. Sed ea est istarum obiectionum conditio, ut in re præsentis parum momenti habeant, 1. Nam quod ad dictâ Concordatâ attinet, ut hic non moveamus quaestionem, num Pontifex ipsi derogare possit, & ut possit, an in dictâ Bulla Leonina satis illis derogaverit; hoc opinamur parum constare, (quod in proposito sufficit) eadē Concordatâ in Comitatu Namurcensi quasi imperio Germanico notoriè

non

non subiecto, nec de Germanica natione existente, locum non habere: sunt enim stricti juris, ut omnes transactiones, quæ inter alios initæ alijs neque profunt neque obfunt: quemadmodum nec concordata Sedis Apostolicæ cum Rege Francorum huc extendi possent, l. 2. C. Res inter alios acta &c. Neque in contrarium facit declaratio Iulij Papæ tertij per Opponentem proposita, per quam Opponens nititur probare, per totam diocelsin Leodiensem, sub qua comprehenditur Comitatus Namurcensis, huiusmodi Concordata locum habere: nam (præsupposito quod locum habere posset, quodque fidem probationis mereretur, de quo dubium adhuc est, vide s. conf. 250.) si diligenter advertatur, vel id non continet, vel tantum continet limitativè; quia ex ejusdem declarationis præfatione (ex qua solet dispositivæ partis declaratio, interpretatio, restrictio, & ampliatio sumi, l. 1. & ibi Bart. Ad S. c. Macedon. l. Titia. & ibi DD. De verb. oblig. Jevindenter constat, ad ipsam diocelsin restricta esse dicta Concordata; diocelsin autem Leodiensem totam de Natione Germaniæ esse ex ea declaratione non constat aliter quàm per partem narrativam ex suggestionibus aliorum: hoc enim indicant verba illa, *Sane nuper accepimus*. Et ut concedatur eatenus ad diocelsin Leodiensem extendi Concordata, quatenus de Natione Germaniæ est, aut Imperio Germanico subiecta; non tamen inde mox sequitur, ea etiam ad eas partes diocelsis referri debere, quæ neque moribus, neque subiectione de Germania sunt, vide s. conf. 250. ut notorie est Comitatus Namurcensis, qui Gallico non Germanico idiomate utitur, quique Imperio Germanico neque mediata neque immediate subiectus est: quod Dominis Iudicibus notius est, quàm ut plenius demonstrari debeat. Unde limitata causa propter Nominationem, limitatum quoque eorundem Concordatorum effectum producit; ut scilicet extra Nationem Germanicam non extendantur, *hancellaverat*, de his quæ in testam. del. l. Cum servo & ibi Bald. De contrah. empt. etiam ex usu alternativorum mensium in collationibus vestigium illorum aliquod esse possit: quod hic eò promptius dicere licet, quod illa declaratio Iulij Tertij tantum loqui videatur de concessione Sixti Papæ Quarti factæ Universitati Lovaniensi, & Impetrans virtute Bullæ Sixtinæ Universitati concessa non prætendat aliquod ius: cum Sixtus non concesserit Facultati Artium hanc nominandi potestatem, sed Leo Decimus, & de hac nulla facta sit mentio in dicta declaratione: * ideoque ut de persona ad personam non est facile faciendæ extensio seu transitus, præsertim in his quæ strictam habent interpretationem, ut sunt sententia, privilegia, declarationes & similia, *De test. & præsertim l. 1. in l. Commodissime de liber. & posth.* ita quoque de uno privilegio ad aliud eadem extensio fieri non debet; maxime quod declaratio ius novum non constituat aut concedat, sed obsecuritatem antecessoris dispositionis tantum illustret & explicet; l. Heredes palam §. si quid & ibi Anselm. & alij de testam. Unde non nisi admodum difficulter poterit ex præfata Iulij Papæ declaratione dictorum

Concordatorum usus vel potestas extendi ad Comitatum Namurcensem, quandiu aliter non constat, quod prius se eousque extenderit; prout revera non extenderunt, cum Namurcenses alij potius, quàm Imperio à tempore immemoriali & subfuisse & paruisse noscantur.

Iustior itaque est altera obiectio; quod scilicet hic Canonatus vacaverit ad collationem Capituli, ad quod Impetrans non est nominatus, ideoque non videatur admittendus ad acceptandum beneficium, quod ad eorum collationem vacasse dicitur. † Ut enim appellatio Capituli non continetor Prælatus ipsius, c. post electionem, vers. cum igitur in literis de concess. præben. Panor. in c. Eam te & in cap. ex parte Decani de rescript. & è diverso: * ita quoque nominatione ad Prælatum facta, non potest acceptari beneficium, quod spectat ad Capitulum, clem. 1. de concess. præben. Ut nec nominatione facta ad Capitulum, comprehenditur sub nominatione beneficium, quod spectat ad collationem, Episcopi, collect. in cap. Ecclesia, vers. si quis impetret de sortileg. Verum nec hæc partis adversæ obiectio iuri M. Ioannis obstat potest. Nam imprimis, ut concedamus (sine veritatis præiudicio) vacante Abbatiâ dignitate ad Capitulum pertinere ius conferendi Canonatus vacantes (quod tamen paulo post in enervatione juris Opponentis falsum esse deducemus) potuit nihilominus Impetrans vigore suæ nominationis factæ ad collationes, & provisiones dicti Abbatis secularis acceptare Canonatum & præbendam vacantes, & ex vacatione Prælaturæ seu dignitatis ad Capitulum pertinentes, si aliqui citra vacationem dignitatis Abbatialis ad Abbatem, non ad Capitulum pertinere soleat eorum collatio: ut est in proposito. Nam vacante sede sive Episcopali, sive alterius dignitatis, quæ Capitulum sub se habet, potestas Episcopi, seu dignitatis non semper rectè devolvitur ad Capitulum; sed plerumque fungitur Capitulum vice Episcopi aut Prælati, cap. ult. & penult. de supp. neglig. prælat. lib. 6. c. 15 cui de elect. lib. 6. sic ut inlinuatio nominationis faciendæ Prælato, fieri tunc possit Capitulo tanquam Prælati vicario, c. Eam te de rescript. sed ita ut Capitulum nihil ex suo capite patriatur, sed tantum ex parte Prælati, quem ea in parte representat, cum dignitas mori non dicatur, c. Quoniam Abbas, & ibi relin. de off. 3. & potest iudi. deleg. † & in materia subiecta conferre debeat Capitulum interea vacantia beneficia, quibus ipse Prælatus teneretur: † quemadmodum cum ad superiorem ex negligentia inferioris collatio beneficii devolvitur, tenetur superior ipsam personam conferre, quibus inferior, clem. 1. de suppl. neglig. prælat. Veluti si collator debeat conferre secularibus, aut regularibus, aut etiam aliquibus ex certo collegio, is ad quem devolvitur conferendi potestas, eidem necessitati erit adstrictus, Zabarell. in d. clem. DD. in c. Ne pro defectu de test. Et pariformiter si Prælatus nominato per Pontificem mediata, vel immediata conferre debebat, eidem etiam conferre tenebitur Capitulum, *Rebuff. in tract. nominat. quest. 8. nu. 11. transiens res cum suo onere & qualitate. l. Alienato de contrah. empt. & subrogatum sapit naturam eius, cui facta*

- facta est subrogatio, l. si cum §. qui in iurium D. si qui cautionib. &c. & in alterius locum succedens eodem jure utitur, c. 1. si qui De regul. iuris lib. 6.
- 10 * Et qua ratione si sede vacante Capitulo tamquam Vicario Episcopi mandetur, ut alicui provideat de Canonatu, cujus collatio jure communi ad Episcopum pertinebat, cogitur Episcopus postea assumptus huic mandato parere, si vacante sede nulla vacatio alicujus Canonatus evenierit, per elegantem text. in d. c. Eam te De rescript. ita quoque mandato vel nominatione Abbati, vel Præposito, aut Episcopo facta, id exequi debet Capitulum sede vacante.
- 11 * Nec mirum, diximus enim Capitulum eo casu tantum suslinere vices Prælatuæ, non autem esse Prælatus: sic ut non suum negotium, sed Prælatuæ gerere debeat, & de suo non alieno largiri, aut donare, l. si pignore §. 1. De furtis. Idque ratio naturalis demonstrat: nam qui alienas vices aut negotia gerit, in suam utilitatem convertere non debet fructus rei, ad eum, cujus vices suslinet, aut gerit, pertinentis, sed in rem & negotia illius, cujus est res, seu cujus vices suslinet.
- 12 Iam verò constat collationes beneficiorum esse inter fructus dignitatis, in c. Cum olim de maior. & c. obedi. quos oportet vel futuro successori sede vacante conservare, c. Quia sæpe De elect. lib. 6. Clem. penult. eod. tit. vel in eas causas impendere, quas postulat necessitas ipsius dignitatis, & quibus expensis futurus successor sublevetur & utilitatem percipiat. *
- 13 Atque ita in proposito, si quid posset Capitulum sede vacante circa beneficiorum interea vacantium collationem, hoc tantum restringeretur ad eas collationes, quibus futurus successor exoneraretur, veluti si Capitulum conferat illi, cui successor in dignitate postea ex mandato Apostolico conferre & providere teneretur, si per Capitulum ei non esset provisum: quo tamen casu dubitant plerique, an Capitulum conferre possit, dicentes, quod oportet tunc per Capitulum constitui Vicarium, seu administratorem, qui conferat & provideat de beneficiis interea vacantibus, c. Cum vos De off. ordin. Panor. in d. c. Cum olim col. 3. De maior. & obedi.
- 14 Huic proximum est & in quo adversarius prefusus pedem figit, quod etiam nominatio, non tantum acceptatio Impetrantis sit facta vacante Abbatiali dignitate, nemine existente, qui personam Abbatis sustineret, & sic ad collationem ejus, qui tunc non erat in rerum natura, l. Liber homo §. si ita scriptum in fin. De hered. instit. * ita ut mandatum conferendi ex defectu personæ, quæ illud suscipiat, sit nullum, & cum personam non egrediatur ab alio non sit adimplendum, l. si quis alicui §. morte D. Mandati; præsertim quia verba Bullæ Leoning id expresse cavere videantur, dum in illis dicitur, Prælatu verò, vel collatoribus, seu collatricibus, bis, seu duobus distinctis vicibus, vita, Prælatu, & administratione eorum durante. *
- 15 Cæterum longè alia est juris ratio, & dictorum verborum extracorticem interpretatio: nam appellatione Prælati venit ipsa Prælatu; est enim Episcopus, & alius quisvis in dignitate constitutus in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo seu Prælato, c. scire vii. q. 1. sic ut cedent. Conf. Wamef. Tom. I.

re vel decedente Prælato successor perficere debeat, quod prædecessori sub nomine dignitatis mandatum est, specul. in tit. de instrum. edit. §. nunc verò alig. vers. sed quid erit in prælato c. Literis in fin. De rescript. *

16 Quomodo delegatio facta alicui sub nomine dignitatis, nomine proprio non expresso, ad successorem transit, c. Quoniam Abbas De off. & potest. in d. deleg. *

17 Vnde ait Cynus, quem in eo sequitur Albericus, in l. unica c. si communis res pign. dat. fuerit, si quis gratiam expectativam impetravit ad collationem Abbatis certi loci, qui ante vacationem alicujus beneficii Abbatiam cum Episcopatu aut alio beneficio permutavit, posse expectantem acceptare beneficium, quod vacabit post permutationem, alio Abbate constituto: nimirum quia hujusmodi nominationes & gratiæ non tam Prælati, hoc est personis, quarum nomina & conditiones ignorantur, & quorum nullus est respectus, dum nomine proprio non appellatur, quàm ipsis Prælatis fiunt, quæ non intermoriuntur, d. c. Literis in Auth. quomodo oporteat Episcopos &c. §. fin. col. 1. & ex personis substantiam omnino non capiunt: *

18 Non enim potest Ecclesia, aut dignitas esse nulla, c. Liberti xix. q. 2. quod futurum esset si in abstr. & sine persona intelligeretur. *

19 Et in eo dissimilis est conditio hereditatis jacentis, & dignitatis vacantis: illa enim personam defuncti suslinet, non successoris, l. Non minus §. fin. De hered. instit. l. Hereditas De acq. rer. dom. hæc verò per se stat, & intelligitur; aut si ad personam referenda est, successorem magis quàm defunctum repræsentat, quod tota in actione consistat, quàm ad defunctum nullâ ratione referre possumus; hereditas verò in solo dominio consistit, cujus capaces sunt etiam infantes & furiosi, l. Furiosus de action. & oblig. qui dignitatum incapaces omnino sunt, c. Indecorum de atate qual. & ord. præf. Quod in proposito manifestum sit ex eo, quod ex Bulla Leonina non requiratur aliqua insinuatio nominationis, neque requisitio ipsius Collatoris, ad quem facta est nominatio: quod apertum est indicium, mentem Pontificis concedentis hujusmodi nominandi facultatem fuisse, ut Prælatu, non personæ tantum aliquis haberetur respectus, Quod etiam spectat, quod per confirmationem Clementis, & Hadriani Pont. nominationes hujusmodi factæ, nondum effectum sortitæ in vita alicujus Prælati, eo decedente ligent successorem, sine novâ nominatione. Cui confirmationi conforme est Cæsareæ Majestatis Placitum, super usu nominationis concessum, quod quidem Placitum etsi ultra Bullam Papalem requirat, ut nominatio insinuetur Collatori, & si effectum in vita ejus sortita non est, renovetur in persona successoris; id tamen non facit, ut nominatio sit magis personalis: restrictum enim & limitativè requirit insinuationem ad personas Collatorum; si scilicet in his partibus resideant, qui si non resideant, sufficiat in loco dignitatis fieri; quod evidens iterum indicium est, dignitatis magis quàm personæ haberi rationem. Neque illæ dictiones, vita & Prælatu durante, rem ad individuum restringunt; quasi nominatio fieri

non possit vacante Prælatūra: sed restringunt tantum & coangulant vices nominandi; ne scilicet liceat Decano Facultatis Artium in vita seu Prælatūra alicujus Prælati ultra bis nominare; & minime quod non possit vacante Prælatūra fieri nominatio: ut sit sensus, dignitas non potest gravari nisi bis durante vitâ, vel Prælatūra & administratione præsentis vel futuri Prælati: ita ut illæ dictiones determinant vices nominandi, non personam Prælati. Et sanè usu, qui optimus est cujusque rei interpret, *l. Si de interpretatione De legib. Steph. Bertran. cons. 220. Si ex alio in fin. vol. 2. parte 2.* ita hæcenus practicum & observatum est, ut statim mortuo aliquo Prælato, nondum etiam electo, aut constituto alio, nominationes fiant: secundum quem usum nuper etiam in Concilio Brabantia judicatum est super Canonatu S. Servatii Traiectensis, vigore similis nominationis Præposituræ vacante factæ, per Dominum Simonem Plugers acceptato. In quo articulo tantò minus hic hæsitandum est, quod ex propria allegatione adversarij Capitulum vacantem Abbatiam representet: ita ut hic relabamur ad ea, quæ in præcedente articulo dicta sunt; neque possit obijci defectus personæ, qui Abbatialem dignitatem sustineat, & representet in tam amplo numero Decani, & Canonicorum viventium, & Capitulum quod dignitatem sic representat, constituentium; sed verè dici possit vitâ & Prælatūrâ, seu administratione Collatoris durante factam esse nominationem, cum (si vera sunt quæ adversarij allegat) Capitulum eo casu velut representatâ personâ Abbatis secularis jus conferendi habeat. * Quâ ratione Commendatario, item Prælati Vicario dirigi potest nominatio; licet propriè titulum dignitatis non habeant, *Rebuff. in tract. nominat. quest. 8. nu. 27. & 29.* quia prætextu dignitatis jus conferendi habent; quod in proposito satis est.

Proinde his rationibus arbitramur, de jure & possessione Impetrantis satis constare: cui si quid ad jus petitorum deesse possit, ut reverà non deest; in ea tamen conditione est possessoria hæc causa, ut Impetrans omninò obtinere debeat; ex defectu scilicet juris partis adversæ; ob id, quod nullum juris titulum habeat, qui aliquem juris colorem præ se ferat, etiam si duos proferat, eoque dissimiles. Nam quod ad priorem attinet, quem prætexit ex collatione Præpositi, Decani, & Capituli, vacante Abbatia sibi facta, is omninò nullus est, utpote ab ijs collatus, qui conferendi facultatem non habuerunt, *l. Si filium tuum*

33 *C. De donat.* * cum indubitatum sit, quod, quamvis sede, vel Prælatūrâ vacante, administratio ad Capitulum in temporalibus & spiritualibus devolvatur, *c. pen. & ult. De sup. negl. prælatis.* potestas tamen conferendi beneficia numquam devolvitur ad Capitulum, præterquam in necessaria collatione, & in beneficijs, quæ ad Prælatis, & Capituli collationem conjunctim pertinent; ut expresso jure cautum est, *c. illa Ne sede vacan. & ibi Imola & alij cap. 1. eod. tit. lib. 6.* * Necessariam collationem

34 vocamus, quæ vel propter periculum animarum differri non potest; vel ubi propter mandatum Papæ Prælatus jubetur conferre; sic ut Capitulum

sede vacante conferre possit nominatis ex necessitate, non alijs ex liberalitate, *Panor. & alij d. c. illa, 23. Rebuff. in praxi benef. tit. De devol. nu. 70. usque ad 87.*

* Cum igitur dictum Capitulum Namurcense conferendi potestatem non habuerit, & liberalitatem sese exercere per hujusmodi collationem dicto Carolo factam in principio literarum collationis declaraverit; sequitur hujusmodi collationem ex defectu potestatis (quo nullus in omnibus causis potest esse major, *l. 1. §. fin. Ad Tertull. l. 1. §. hac autem verba D. Quod quisque iurij & c.*) omninò esse nullam & adversarij nullum omninò titulum tribuere, præsertim propter reservationem in Bulla Leonina factam, quæ sic potestatem Collatoris afficit, ac manus illius constrinxit, & ligavit, ut nisi vel lapsò tempore ad acceptandum vigore nominationis præfixo, vel nominato declarante se nolle acceptare, nulli potuerit conferre, & conferendo contra prohibitionem Apostolicam nihil egerit, *c. Mandato De prob. lib. 6. c. Tili qui De rescript. lib. 6.* propter vim & potestatem decreti irritantis dictæ Bullæ inserti. Pro non collato itaque haberi debet hic Canonicatus quoad Carolum ex parte Capituli: quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure dare, *c. ap. Quis autem De iure patron. Quod verò ad potentiorum titulum, perinde ad juris effectum inutilis est; & si quid operantur literæ collationis, seu provisionis Illustrissimi Domini Cardinalis Caraffæ Legati de latere, quas pro hujus secundi articuli probatione producit Opponens, illud est, quod ex usu hujusmodi literarum & tituli Opponens evidenter ostendat, falsum esse, quod concordata Nationis Germaniæ locum habeant in Comitatu Namurcensi: nam cum hic Canonicatus, cujus possessio nunc controversa est, vacaverit in mense ordinario, non potuit dictus Legatus, ac nec ipse Papa sic vacantem conferre, cum per declarationem superius mentionatam Julius Papa tertius declaraverit in effectu dicta Concordata vim pactorum habere, quibus Papa derogare non posset nequidem ex absoluta potestate, *c. 1. De probat. Bald. in l. Princeps De legib. eleganter Lud. Roman. cons. 352. Quaritur primo nu. 16. Gloss. in c. Ad apostolica de sent. & re iudic. lib. 6. Bart. in l. Si quis C. De excus. muner. lib. 10. multò minus Cardinalis aut Legatus; præsertim quia ipsæ Concordatæ etiam inserta sit clausula decreti irritantis, quæ ipsum Pontificem etiam in gratiosis ligat, *c. Quodam & ibi Domin. Gemin. De prob. in. 6.* ita ut propter hanc implacabilem contradictionem Opponens audiri non debeat, *c. Post electionem De concess. prob. & ibi DD.* † Operantur interim istæ literæ & aliud, ut non obscure arguant collationem Capituli prius factam pro nulla & invalida habitam fuisse: non enim obtinuit sibi Carolus provideri per modum novæ provisionis, factâ scilicet mentione de collatione Capituli, de qua dubitabat, an viribus subsisteret; quo casu utriusque tituli allegatione ut invincibilis esset, cum posterior veniat non in prioris annulationem, sed confirmationem, *Rebuff. in praxi benef. tit. de nova provisione nu. 13. Lud. Comf. ad reg. de annul. poss. quest. 78. in fine.* sed per modum simplicis provisionis, quæ præsupponit nullum**

29 nullum alium titulum præcessisse & ex hoc nunc primum jus queri quod fieri non posset, si ex prior titulo jus nactus fuisset, qui provisionem petit, *l. Vbi autem in si. De verb. oblig. & id. Bellameta decis. 116.* Quod admodum in simili de surrogatione in jus colligantis mortui tradit Ludovicus Gomefius, in *reg. De surrog. collat. g. 19. in fine* Sepolitis interim istis nihil operantur hujusmodi provisionis literæ; nam conditionalem continent collationem, sub conditione, quæ expressim provisioni dicti Cardinalis inserta est his verbis: *Dummodo tempore data præsentium non sit alicui in ea ius quaesitum.* Ita ut ex defectu conditionis collatur dicta provisio, seu quod magis est, nulla sit. † Equidem verba ista propriè non habeant conditionis vim & potestatem, eo quod conditio in futurum, *l. Itaque Si cert. pet. non in præsens vel præteritum tempus conferatur*; quod autem sic in præsens vel præteritum tempus conferatur sub figura conditionis, id statim ab initio vel purè valet, vel omnino nullum est, *l. Cum ad præsens cum l. seq. Si cert. pet. l. Conditio in præteritum De verb. oblig. l. 2. De hered. instit. prout vel verum vel falsum est quod in figura conditionis exprimitur.* † Unde cum verbis in præsens tempus conceptis Illustrissimus D. Cardinalis dixerit negativè, *Dummodo non sit ius quaesitum*, & affirmativa illis verbis contraria fuerit tunc vera, non intelligitur Cardinalis suspendisse suam collationem in aliquem eventum, sed jam inde ab initio illam pro nulla habuisse: per rerum enim naturam certum fuit, tunc alteri ius fuisse quaesitum in dictis Canonatu & præbenda, etiamsi Cardinalis id ignoraverit, *l. Respicendum Si cert. petat.* Ius autem quaesitum fuisse Impetranti ex his, quæ in investigatione juris eiusdem diximus, manifestum est; eo scilicet attento, quod acceptatio & provisio Impetrantis uno die antecesserint provisionem Cardinalis ab Opponentibus impetratam: illa enim est de decima Februarii, hæc de tertio Idus Februarii, hoc est de undecimo; cui non censetur Cardinalis non tantum voluisse derogare, sed per hujusmodi conditionalia verba maius robur potius adieciisse, quia dicta clausula, *Dummodo non sit alteri ius quaesitum*, præservat habentes ius in re, *l. Item. And. & DD. in cap. Causam qua De rescriptis*; quod Impetrans in hoc Canonatu omnino perfectè obtinuit per reservationem, provisionem, seu collationem, & in possessionem inductionem virtute Bullæ Leoninæ, *c. ult. in fine De concess. præben. in 6. Clement. fin. eod. tit. ita ut de non vacante beneficio dicto Opponentis facta collatio, ipso jure nulla reputari debeat, c. l. & 2. De concess. præben.* multoque magis quæ in consequentiam & auctoritatem hujus tituli per Opponentem capta est possessio, quatuor ferè mensibus post acceptam, & obtentam realem possessionem ab Impetrante, octava scilicet Iunii tunc sequentis; idque vigore prioris collationis inutiliter ac nulliter (uti superius deductum est) facta à Capitulo, Abbata vacante: facta deinde pendente hac lite, & sic nulliter, vicesima quarta Januarii novissimè præteriti novè possessionis acceptione, virtute collationis ab Illustrissimo D. Cardinale obtentæ; cum Impetrans antea possessionem juris & rei obtinisset de

cima, & decima sexta Februarii anni. 1558. Atque ita multis modis Impetrans Opponentem potior est, & jure, & tempore, *c. Duobus De rescript. lib. 6. l. 4. c. Qui putior. in pig. hab. in d. non tantum potior, sed omisâ comparatione solus obtinet hujus beneficii jus & possessionem.* * Proinde cum causa beneficalis possessoria justificari & probari debeat ex titulo, *Gl. in Clem. unica in fine De caus. poss. & propriet. tam in iudicio retinenda, quam re. l. tuenda, Gloss. in d. Clem. unica, & quidem titulo saltem colorato, Rota decis. 257. alias est 7. Si quis dicat de probat. in novu;* qui scilicet obtentus sit ab habente potestatem conferendi, *Rota decis. 393. Si conferatur alias est 16. De rescript. (spoliat in novu, Phil. Franc. in c. fin. De rescript. spol. in 6. eaque ex parte abundè satisfecerit Impetrans, nihil vero præstiterit Opponens, propter superius deductum defectum potestatis prædicti Capituli, & Domini Cardinalis conditionatam conditione de hiis collationem; nihil est quod Clarissimos Dominos Iudices remorari debeat in proferenda sententia pro possessione dicti Impetrantis, & condemnando Adversarium in expensis.*

De Præbendis.

S V M M A R I V M.

Ius Regaliorum in beneficiis Ecclesiasticis.

1. Capitulum sede vacante non conferre præbendam.
2. Collatio beneficiorum est inter fructus prælaturæ.
3. Capitulum sede vacante in necessaria collatione collat conferre debet beneficium.
4. Ius regaliorum in beneficiis.
5. Dilectis una in plures diversa retinet antiquitatem.
6. Ius regaliorum non impedit expectativam aut præventivam gratiam.

CONSILIUM CCLX.

IN erectione Episcopatus Audomarenfis statutum est à Pontifice, ut novè Præbendæ primo vacaturæ afficiantur seu conferantur certis quibusdam personis certis qualitates habentibus; nimirum tres primæ tribus Magistris Licentiatas in Theologia; tres alteræ tribus Licentiatas Decretorum; & demum tres postremæ tribus Nobilibus ex dilecti Licentiatas in aliqua dictarum facultatum; idque hoc ordine, ut prima vice novem illæ præbendæ conferantur à solo Episcopo; postmodum verò per electionem ab illis, qui de numero illorum novem supererunt. Contigit autem vacante dicta Episcopali sede, vacare unam præbendam, quæ si Episcopus viveret deberet ab eo conferri viro Nobili & Licentiato: Quæritur ergo, ad quem pertineat ejus præbendæ collatio? An ad Capitulum, quod tamen videtur repugnare juri communi, *c. Illa & not. in. Ne sede vacante &c.* An verò ad Principem secularè, juxta jus regale, quod habet ut sede vacante conferat Princeps in Ecclesijs Gallicanis? An denique reservari debeat Episcopo futuro, cum jus regale non videatur obtinere locum in dicta Ecclesia Audomarensi, ut quæ sit recentè erecta; aut saltem non videatur debere extendi ad dictas novè præbendas afficiendas, eo quod Rex Catholicus consentiens in erectionem dicti Episcopatus, &